



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 4. Francisci à Valle mors.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

Charitas & humilitas.

In Deum fiducia.

CAPUT IV.
Francisci à Valle mors.

Egregium casti adolescentis facinus.

Sidonia Ducis famuli caritas.

Francisci à Valle vocatio ad Societatem.
Levia furta castigata.

Ab Rocho Gonsalvius laudatur.

Morales miserabilis exitus.

CAPUT V.
Guairanii transmigratio-
tionem continuant.

pugnaret, nunquam adduci potuerit, ut tantisper iussa dissimularet: sed falce in messe relicta in Tucumaniam statim concesserit. Caritatem ejus & animi demissionem satis commendaverit, si dixerit Petrum Oniatum, Paraquariæ Provincialem, scripto testatum fuisse, nullum se nec in Hispania, nec in Peruvia, aut caritate excellentiorem, aut animi demissione præstantiorem ipso Lorençanâ cognovisset. Cordubæ Rectorem agens ex exhausto dolio & pro vacuo derelicto mel promere iussit, eo successu, ut ordinariis numerosi Collegii usus sufficeret, donec aliud dolium è Paraquariâ mitteretur: quo in penum illato, vetus fluere desit. Multas res priusquam evenirent, cælitus nosse creditus est. Guairaniæ oppida, multò antequam destruerentur ab Mamalucis, aliquando destructum iri pronuntiavit.

Post Lorençanam elatus ibidem est Franciscus à Valle, cujus non parva laus fuit in Evangelio per Paranam promulgando. Is tenuibus admodum parentibus in Lusitaniâ natus, olim ab Ducis Sidoniæ œconomio hero suo iussus amatorias litteras pellici deferre, maluit opulento servitio depelli & egere, quàm lenonem agere. Quod factum tanti æstimavit unus è Ducis famulatio, ut aulâ expulsum, quotidiano dimenso inter eum partito, tandiu operam litteris navantem aluerit, quousque in scholasticorum convictum ejusdem commendatione famuli admitteretur, & interjecto tempore San-Lucaris Verramedani parœchiæ, favore Ducis, cum sexcentorum aureorum censu præficeretur. Traditâ alteri suæ Ecclesiæ curâ, Jurisprudentiæ operam daturus, Salmanticam concedens, anno ætatis trigésimo-quarto Societatem JESU ambivit, & primo ambita obtinuit. Narrabat ipse, cum in tyrocinio Villagarciano degeret, quòd mensæ nostræ mediocritati nondum assuesset, aded se fame vexari solitum fuisse, ut subinde panem è penu suffuraretur, clam comedendum; sed, ut fit, clandestinâ illâ comestione longè se cruciatum magis, quàm si famem tolerasset; conscientiam facti, quamvis in levi materiâ, ejus animum crudeliter lancinante: nec utriusque malo prius inventum remedium, quàm Rectori se patefaceret. Post tyrocinium, septem annis per varia Castellæ loca utiliter excurrit. Montano Collegio in Hispania primùm; tum Aquavivæ Generalis iussu septem Sociis in Paraquariam navigaturis præfuit. Sedem Boni-aëris ipse primus stabilivit, rexitque. Templum nostrum in Sanctæ Fidei urbe ejus maximè operâ surrexit. Inde post explosam illam, quam supra retulimus calumniam, ad Paranam translatus, multos Barbaros summo labore ad Fidem convertit. Rochus Gonsalvius scripto affirmavit, Franciscum à Valle socium suum inter genuinos Societatis filios, operarios inconfusibiles, gloriæ Divinæ zelatores, & insignes missionarios amplissimum locum mereri. Post exultam per aliquot annos Paranensem vineam, ob calculi dolores ad Assumptionis Collegium revocatus, nihil de solitis laboribus remisit, aded ut ex continuatione audiendarum confessionum aliquoties ad extrema deductus fuerit. Piè mortuum tantâ mœroris exhibitione luxit universa civitas, quantâ vivum prosequuta fuerat. Longè disparem exitum habuit nescio quis Morales, qui è Societate expulsus, cum se ex levitate animi pro divinatore apud plebeculam vendicaret, in Peruvia fœdissimè trucidatus fertur. Senatus Platenfis Regius, acceptis è Paraquaria Guairaniæ depopulationis relationibus, ad Regem Catholicum litteras scripsit, quibus præterita damna, & ulteriora pericula ferò lamentabatur. Sed catastrophæ calamitosæ tragœdiæ inspectum carnis, & ultimam tandem manum profligatis Guairaniæ rebus commodemus.

UT tot illa capitum millia, è prædonum manibus post tot oppidorum depopulationem erepta, è præcipitio Guairanico descenderent, & transmigratio-
nem continuarent, Antonius Ruisius partitæ in agmina multitudini præfecit Socios consilio, ope, imperio, & ubi opus foret, Sacramentorum subsidiis adju-
tuos. Singuli comætu & reculis suis onusti procedebant: passim torrentes occur-
sabant, ad quos transmittendos, deturbatis arboribus, extemporanei pontes sternendi erant. Jam scopulorum arduitas, jam arenosa loca Solis vapore adusta, jam invia nemora pergentibus obstabant: quare non tantum ægri & senes, sed etiam mulieres proli-
bus

onustæ,